

» et reintegrazione ablitorum et justitiae singulorum et auctoritati  
» nostrae ac hujus sanctae sedis facilius prospici et citius hanc  
» sanctam expeditionem posse confici, etiam adducti fuimus ut  
» insurgere contra praedictos venetos ulterius non differamus. His  
» igitur Romanae ecclesiae tam in spiritualibus quam in tempora-  
» libus oppressionibus, libertatis ecclesiasticae et cleri ac gregis  
» nobis commissi dilacerationibus et lupina quadam rabie devora-  
» tionibus perspectis et per praedecessores nostros ac nos ipsos  
» nimium toleratis, praemissisque rationibus compulsi agnoscentes  
» nos divino munere, licet immeritos, Dei omnipotentis vicem in  
» terris gerere, de cuius ore, ut in Apocalypsi scribitur, gladius  
» ex utraque parte acutus egreditur, sententia scilicet quae punit  
» bonos ut timore poenae, emendentur et ab illicitis abstineant, ex  
» altera vero parte malos perscindit, ut cum bonos ad cor redu-  
» xerit, relinquantur mali in conculatione et a bonis penitus tollan-  
» tur, neve exemplo Venetorum, si diutius illos ita dimiserimus et  
» contumacia proterviamque ipsorum dissimulaverimus, ceteri  
» etiam contemnendi et peccandi occasionem et licentiam capiant:  
» de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consi-  
» lio et assensu contra praefatos Venetos ad severitatem ultionis  
» ecclesiasticae, nec non ad arma tam spiritualia quam temporalia  
» deveniendum duximus, ut vel per poenitentiam, matrem suam  
» hanc sanctam sedem apostolicam, occupata eidem restituendo  
» et in praemissis excessibus se corrigendo agnoscant: vel apo-  
» stolicae auctoritatis exemplo et severitate exortes se intelligent  
» divini mysterii et satanae tradendos esse, ac sortem Dathan et  
» Abiron sortiantur, quorum consortes multipliciter peccando se  
» fecerunt. Nemo est qui ignoret ex praedictis criminibus et ex-  
» cessibus per praefatos Venetos perpetratis constare notorie, pro  
» ut et nos notorium esse decernimus et declaramus, ducem roga-  
» tos, generale consilium, senatumque venetum eorumque officiales  
» et cives, ac alias quoscumque quorum auctoritate, opera, jussu,  
» consilio vel favore praedictae civitates nostrae hactenus occupatae